





1. 12. 1871



2
30
31
32
33
34
35
36
37
38
39



1691.

29. Hevoglius, Io. Philippus, juris Doctor: Programma
... cursoriae lectioni in l. 5 C. de iniuriis promissum (ad Dis-
putationem inang. Georgii Fiverici Schlusleri iuritat.).
30. Hevoglius, Io. Philippus: De alternatione . . .
31. Hevoglius, Iohannes Philippus: De justificatione feudi.
32. Hurus, Georgius Adamus, Cuius juris Doctor l. s. p.: (
ad Disputationem inang. Hermannii Nortmanni iuritat.).
33. Hurus, Georgius Adamus: De iure et privilegio revocandi domum.
34. Hurus, Georgius Adamus: De diversis generibus usufructuum.
- 35^{a et b} Hurus, Georgius Adamus: De baccho seculari - Imp. 1692 & 1714.
36. Tillemannus, Paulus Henricus: De eo, quod iustum est circa
mentem.
37. Tillemannus, Paulus Henricus: De conquisitione militum.
38. Triller, Io. Mauricius: De actionibus per indirectam
et expeditibus.
39. Walelin, Georgius Welffengas: Propempticon inang. de balsama-
tione corporis Christi (ad Dis. inang. Iohannis Gerhardi Thilmanii
iuritat.).

1699.

40. Wedelius, Georgius Duffgangus: Propempticon in aug.
de sale insulto

41. ^{9^{te}} Wildvogel, Christian: De eo, quod iustum est circa novum
annum. 2 Sampl.

42. ^{10^{te}} Wildvogel, Christian: De iure florum. . . . 1 Sampl. 1741
i 1717.

43. ^{11^{te}} Wildvogel, Christianus: De eo, quod iustum est circa
festum paschaticum 1 Sampl. 1691: 1736.

44. Wildvogel, Christianus: De eo, quod iustum est circa tempus quadra-
gesimale.

45. ^{12^{te}} Wildvogel, Christianus: De tubula detiva. 1 Sampl. 1691
R 1753.

46. Wildvogel, Christianus: De eo, quod iustum est circa festum
pentecostes.

47. ^{13^{te}} Wildvogel, Christianus: De iure retentionis uxori vel
viduae competente. 2 Sampl. 1691: 1755.

48. Wildvogelii, Christianus: De fovere et funeribus.

1691.

49^{tes} = W. Woyzel, Christianus: De eo, quod iustum est circa
arbores. 2 Sumpt. 1691 & 1767

50^{tes} = W. Woyzel, Christianus: De eo, quod iustum est circa
dies caniculares. 1 Sumpt.

735.



427/15
2. F. F. 2. D. E. I.
DISPVATIO INAUGVRALIS,
DE

P. 386.
**BRACCHIO
SECVLARI,**

E. 5. num. 26
1691, 356
8
QVAM
EX DECRETO INCLYTÆ FACVLT. IVRIDICÆ,
IN ACAD. SALANA,
SVB PRÆSIDIO
VIRI ILLVSTRIS ET MAGNIFICI
DOMINI
GEORGII ADAMI STRUVII,
JCTI CONSVMMATISSIMI,
SERENISS. DVCVM SAXON. CONSILIAR. INTIMI
EMINENTISSIMI,
FACVLT. IVRID. ORDINARII ET R. T. DECANI MAXIME
SPECTABILIS CVRIÆ PROVINC. ASSESSORIS LONGE
MERITISSIMI,
PATRONI AC PROMOTORIS SVI SVMME VENERANDI,
PRO LICENTIA DOCTORALI
HORIS ANTE ET POMERIDIANIS LOCO CONSVETO
D. XVI. SEPTEMBR. CIO IDC XCI.

ventilabit
GOTHOFREDVS *Stockmann /*
BAVARO-NVMB. THVR.

JENÆ, Typis PAULI EHRRICHII. 1714.



Handwritten notes at the top of the page, including a signature and the number '21'.

DISPUTATIO IN AVGVRAIS

BRACCIO SECVLARI

Handwritten initials 'B.C.' in the right margin.

ET ELECTO INCLITA FACULT. IURIS
IN ACAD. SALENSI
S. R. A. A. A. I. D. I. O.
VIRI ILLVSTRIS ET MAGNIFICI


DOMINI
GEORGI ADAMI STRLIVII

ICHI CONSUMMATISSIMI
SERENISS. DVCVS SAXON. CONSVLAR. INTIMI
EMERITISSIMI
FACULT. IURID. ORDIN. IUR. ET DECANIMAXIME
RECTORIIUS CAROL. PROVIN. AUSTRIAS LONGE

REVERENDISSIMI
PATRONI AC PROMOTORIS SVI SVMMÆ VENERANDI
PRO LICENTIA DOCTORALII

HORIS ANTE ET POSTMERIDIANIS LOCO CONSERTO
D. XVI SEPTEBR. MD. CXL.

GOTTFREDVS GEDDINIIVS
AVARO NVM. THEO.



FRANCOFORTI ENCHIRID. VIIA





I. N. D. N. J. C.

P R O O E M I U M.



Republica faciunt monstrum, qui potestatem circa sacra summam Principi denegant. Duo enim braccia ejusdem corporis non nisi unicum caput agnoscunt. Ecclesia sanè est pars Reip. quæ quoad externum ordinem jure positivo humano dirigitur, quò personæ & res sacræ ordinantur, actiones civium circa eas diriguntur, & oræ de iis controversiæ deciduntur. Schilt. *Inst. Jur. Can. lib. 1. tit. 1. §. 8.* Quare non sine ratione dicitur, Ecclesiam in Republica, non Remp. in Ecclesia esse. Et cur aliter Remplicam formari velimus, quam à summo Principe cœlesti in Rep. Israëlitarum factum esse scimus? quippe per Mosen, supremum ipsorum Præfectum, non modo personis politicis sed etiam Sacerdotibus, de sacris or-

dinandis & de externo in Ecclesia ritu servando, imperabatur, *Lev. 10.* Sicuti igitur Princeps duabus Societatibus in Rep. præest, sacræ atque civili; ita prima ejus cura sit, ut utraque legibus suis ac juribus, sine quibus nulla Societas consistere potest, munita atque utrumque ejus bracchium, tam ecclesiasticum quam seculare ita instructa sint, ut per illa totum corpus ex voto possit adjuvari. Ut autem salus civium utrinque promoveatur, necesse omnino est, ut, qui in utraque societate judicum munere funguntur, sibi invicem assistant, atque ita alter alterius sententiam non impediunt sed pro viribus promotum eant: Unius enim Domini ministri sunt, cujus mandatum executuri sibi ipsi contrarii esse non debent. Quomodo Judex Secularis ecclesiastico adesse & alioquin certis casibus circa personas ecclesiasticas officio suo fungi debeat, seqq. Thesisibus aliquo modo demonstratum est. Supremus Judiciorum omnium Director faxit, ut etiam tenuis hic labor & quem deinceps in aliis negotiis, Ipsius gratiâ, suscepturus sum, Reip. non planè sit inutilis. Tu, Lector Benevole, vale & fave.

THESIS I.

IN Persona Principis, Majestatem vel ejus exercitium possidentis, duplicem veneramus Potestatem, alteram circa sacra, alteramque circa negotia civilia se exerentem. Nemo è sanioribus Theologis æquè ac Politicis in dubium vocabit, Principi ex ipsa vi Majestatis utramque hanc potestatem competere (attamen per potestatem circa sacra non internam, quæ circa doctrinam

nam occupata est, sed externam volumus intellectam.) Cujus rationes tam è S. Scriptura quam ratione naturali aliisque argumentis depromi posse, brevissimis indicabimus. Potestas summa ab Apostolo dicitur esse Dei ministra, vindex ad iram ei, qui malum fecerit *Rom. 13.* Si autem Dei ministra est ad malum vindicandum, quis ipsi denegabit hoc exercere in negotiis sacris & ecclesiasticis, cum circa hæc æque ac profana ab hominibus peccetur. Docet etiam Apostolus omnem animam summis Potestatibus subjici debere; sub quibus omnino quoque Ecclesiæ ministri comprehendi debent: quis enim excipit illos ab Universitate? Præterea Lex divina *Deut. 17. 19.* & *Jos. 1. 8.* Regibus præcipit ut observent Legem divinam & *Pf. 2, 12.* ut serviant Domino & Christum osculentur: quod cum illis (pulchrè argumentante Grotio *de Imp. pot. circa sacra cap. 1. §. 6.*) non dicatur ut hominibus (ita enim hoc præceptum ad Reges nihilo magis quam ad privatos pertineret) sed ut Regibus, sequitur ab iis actum illum exigi, qui propriè Regis est, usum scilicet imperii circa ea, in quibus religio consistit. Quomodo enim Reges, quæ tales, servire debeant Domino & potestati ipsorum commissam ecclesiam externè moderari, ex assè explicarunt insignes Ecclesiæ Doctores (1.) Augustinus *in epist. quadam ad Bonifacium* scribens: *Aliter enim, Rex servit quatenus homo est, aliter quàm etiam Rex est &c.* Et porro: *Sicut servivit Ezechias, lucos & templa Idolorum, destruendo. Sicut servivit ita Josias. Sicuti Rex Ninivitarum, universam civitatem ad placandum Dominum compellendo &c.* Et (2.) Isidorus Hispalensis, *in ep. 50. ad Bonif.* ubi inter alia: *Nam sive augeatur pax & disciplina Ecclesiæ, per fideles Deo Principes sive solvatur, ille ab eis rationem exigat, qui eorum potestati suam Ecclesiam crediderit &c.* Notum est

est è sacris, in Politia Mosaica Moyſen, Samuelem, Davidem, Esdram &c. utramque potestatem eminenter exercuisse. Vid. Reinking. *de Reg. eccles. & sec. I. IV. IX. n. 17. seqq.* Sic Jerobeam acquisito Jure territorii, illicò etiam quoad locum personas ceteraque de cultu divino disponebat. Ut quoque ex ratione naturali utrumque Imperium summo Principi vindicemus, hoc argumento uti possumus: Si personæ & causæ sacræ Majestatis imperio non subjacent, sequitur, quod aut exemptæ aut alterius, quam summæ Potestatis, moderamini in his terris sint subjectæ. Utrumque consequens est absurdum. Quod enim ad exemptionem attinet, illa probari nusquam poterit, cum anarchiæ Deus maximè sit adversus, utpote qui omnia certo ordine comprehendere vult ac gubernari. Quod ad alterum, sequeretur duas esse in Rep. summas potestates, quod itidem dictum absurdissimum. E. absurdum quoque erit antecedens; imò potius cum D. Frommanno
*„ disp. de Condomin. Territ. ita concludendum: Legibus bene
 „ fundatâ totâ Territorii Rep. potestas hac territorialis, jure
 „ tum in secularibus cum in ecclesiasticis (siquidem hæc DUO
 „ illæ BRACCHIA sunt, quibus totius territorii salutem com-
 „ plectitur superioritas) armata & instructa ut sit, tam ad ani-
 „ marum eternam salutem quàm ad temporalem subditorum, o-
 „ pus est, cap. 6. th. 8. Videantur complura in hanc rem argu-
 „ menta prolixius deducta apud Grot. supra cit. cap. Si ex Philo-
 „ sophia civili hoc assertum illustrare volumus, verbis B. Dn. Ziegleri uti possumus lib. 1. cap. 13. de Jurib. Maj. ita scriben-
 „ tis: Quantum circa cultum Divinum vi patrie & ecumeni-
 „ ce potestatis Pater familias in sua potest familia, tantum &
 „ plus etiam jure gentium potest Princeps in suo territorio,
 „ quippe qui omnes potestates inferiores subordinatas habet,
 „ & mo-*

„*Et modo quodam eminenti sub Majestate sua continet.* Historiam Imperii Rom. perlustrantes deprehendimus, postquam Imperatores facti sunt Christiani, res ecclesiae ab ipsis dependisse, quod abundè probant Imperatorum Rom. ordinationes ac leges, quas circa personas Clericas tulerunt *in titulis Cod. de Episc. & Cler. de Episcop. aud. & similibus,* nec non *Nov. 123.* Restaurato etiam Imperio Rom. occidentali, per Sctum de L. Regia, à Papa & S. P. Q. R. inter alia Jus quoque circa Sacra in Carol. M. ejusque successores colatum, quod relatum à Dn. Schilt. *in not. ad Concordata Nat. Germ. p. 484.* In regno quoque Gallico Majestas Imperium externum in Sacra olim fortiter sibi servavit, quod satis indicat *Defens. Paris. cur. pro lib. eccles. gall. per tot.* Hæc externa circa sacra Potestas adeò propria est pars Majestatis in Rep. ut neque diversæ religionis Principi denegatur. vid. Dn. Schilt. *Inst. Jur. Can. l. 1. tit. 7. §. 12.* Quapropter necesse est, ut non minùs à Judice Ecclesiastico ad summum Principem, quam à seculari, appelletur. Quod etiam vult Imp. *in Nov. 123. cap. 21. §. 1. in fin.* Quo Jure nunc Pontifices Romani summis Principibus hanc circa sacra potestatem denegent, aliquo modo ex hætenus dictis apparere posse puto. Sufficiet de hoc jam cit. Dn. Schilt. *comm. de lib. Eccles. germ. Lib. IV, 5.* adire: ut jam non addam aliquot pontificiorum Doctorum propriam confessionem, jura scilicet circa sacra summo Principi esse asservanda. Vid. Covarruv. *tom. 2. cap. 33. S. 7.* & Franciscus de Roje, expresse scribens: *In jure & in facto errant, qui volunt publicos s. seculares & regios Judices directam Jurisdictionem non habere in Clericos &c. qui* *vid. l. 3. Inst. Jur. Can. tit. 3.*

Facilius nunc intelligi poterit, quid per *Bracchium ecclesiasticum & seculare* intelligatur & ad quam Personam utrumque referatur. Cum enim, uti ostensum, in Principe duplex resideat potestas, illa nimirum quæ circa sacra aliaque circa Civilia occupata est; quid ni satis perspicuâ Metaphorâ hic uti, atque (cùm in sacris quoque sæpius vis ac potentia per *bracchium*, quippe fortitudinis humanæ instrumentum, significetur) duplicem illam Principis potestatem per *duo bracchia*, *ecclesiasticum* scilicet & *Seculare*, exprimere conveniant. Per *Seculare* igitur vulgò indicatur illud, quod ordinariè negotia civilia moderatur & disparatur ab ecclesiastico, quod ecclesiasticis personis aut rebus est intentum.

TH. III.

Monendum verò est, *Bracchium seculare* hic non accipi simpliciter & universaliter, pro omni illa potestate, quam Princeps circa negotia civilia, publica æquè ac privata, exercet; Sic enim immensum aggredere pelagus, quod per aliquot annos transnavigando vix superari posset. Sed *Bracchium Seculare* non alio hic sumitur sensu, quam quatenus respectum habet ad ecclesiasticum, cuius vice nonnunquam fungitur & à quo in certis causis dirigitur & in auxilium vocatur. De illo nunc in sequentibus agetur.

TH. IV.

Definiri poterit BRACCHIVM SECVLARE, quod sit exercitium Potestatis Principis, quâ vel ad requisitionem Judicis ecclesiastici, vel sine ea, per Judicem Secularem circa personas & causas ecclesiasticas iustitia administratur.

THES.

Causa efficiens est vel remota vel proxima. Remota est Deus, utpote omnis potestatis tam ecclesiasticæ quam politicæ primus fons & scaturigo; post hunc ratio naturalis, quæ finem cupiens, scil. iustitiam, vult etiam media ad hunc finem ducentia. Causa efficiens proxima est vel principalis s. dispositiva, vel minus principalis s. impulsiva. Principalis est dispositio Juris tum Canonici, quæ continetur *in cap. 1. & 14. X. de offic. jud. ordinar. it. c. 2. X. de maledict. c. 2. X. de Cler. excomm. Can. 4. dist. 17. Can. Principes, Can. Administratores caus. 23. qu. 5. tum civilis in l. 8. C. de episc. aud. it. Auth. Clericus & Auth. Statuimus §. 1. de Episc. & Cler. & ex arg. l. 2. de his latron. vel al. crim. reos occult. tum publici, in Ordin. Cam. part. 3. tit. 48. §. 9. tum etiam, in nostris provinciis, Juris Saxon. ut liquet ex ord. prov. de an. 1555. tit. Consistoria. nec non ex ord. eccles. sub tit. von beyden Consistoriis zu Leipzig und Wittenberg/ art. II. in verbis: Wenn sich aber die Partheyen widersetzen / und nicht pariren würden / mögen die Assessoren das brachium seculare, als unsere Regierung / und die Gerichts-Befehlshabere anruffen / und bey ihnen um die endl. execution und Hülffe ansuchen.*

TH. VI.

Cassa impulsiva *Bracchii Secularis* est vel invocatio illius à Judice ecclesiastico facta, vel ipsa causa qualitas ac necessitas. De hac infra *thef. VII. & VIII.* aliquid dicitur. De illo autem, iudice scil. ecclesiastico, notandum, quod in nostris protestantium terris à Principibus, qui jure episcopali gaudent, constituatur Judex Ecclesiasticus vel superior vel subordinati: Illius nomine venit Senatus Ecclesiasticus, der Kirchen-Rath / qui ipsam quasi Principis personam in causis ecclesiasticis gerit & ultra quem in hoc passu non datur ulter-

B

rior

rior instantia. Hujus appellatione continentur judicia ecclesiastica vel personarum, quibus jurisdictio circa sacra est commissa, ut sunt alibi Episcopi, apud nos Consistoria. Judicia ejusmodi subordinata jurisdictione sua comprehendunt vel personas in ministerio ecclesiastico constitutas & quae his de minori ordine accensentur nec non scholasticos inferiores, vel personas academias, qui iudex in specie vocatur Magistratus Academicus. Poterit igitur harum specierum constitui genus sc. Iudex Clericus, qui est in specie vel ecclesiasticus vel Academicus. Judicavit quidem Curia Parisiensis suprema, Academiis esse Collegia profana, cujus opinionis quoque est Barthol. in l. 1. ff. de Coll. & Corp. Bald. ad Auth. Habita & l. id quod pauperibus C. de Episc. & Cler. Sed quod sint Collegia Clerica, satis liquet tum & Cap. ex literis X. de Const. cap. 1. X. de Loc. & cond. nec non ex Auth. Habita ne fil. pro parte, in qua Episcopo cum Magistro Scholarium concurrentis jurisdictionis datur, vid. fufius Carpz. in Jurispr. Consist. l. 1. de 8. & tit. 3. def. 12. & Hermes fasc. jur. pub. cap. 37. qu. 10. & Academiis constituere esse quid spirituale, scribit Becker. in Syn. Jur. publ. cap. ult. §. 3. Hinc in Germania multae Academiae solius Papae auctoritate quondam fundatae sunt. Id. ib. Iudici ecclesiastico juxta Jus Can. jurisdictionis ordinaria circa personas & causas ecclesiasticas, & quidem tam civilis quam criminalis competit cap. perniciosum X. de off. Jud. ordinari. cap. cum Episcopus eod. in 6to cap. et si Clerici, cap. cum non ab homine X. de Judic. Vid. Reinking. Regim. eccles. lib. 3. class. 1. cap. 10. & Ill. Dn. Struv. tract. de Jud. cap. 1. tit. 1. In causa tamen criminali Iudex Ecclesiasticus tantum habet causae cognitionem, ut ex allatis textibus apparet, & potestatem infligendi poenas Jure Can. statutas, ut sunt carcer, multa, translatio, suspensio, remotio & degradatio, poenitentia

ecclesiastica & excommunicatio, de quibus vid. Brunnem.
Jur. Eccles. lib. 2. cap. 19. & Ziegl. ad Lancelott. 4, 12, 2. Schilt.
Inst. Jur. Can. lib. 1. cap. 19. Si verò delictum, de quo cogno-
 scit Judex ecclesiasticus, pœnam sanguinis deposcat, tenen-
 dum est, quod *in cap. ult. Ne Cler. vel Monach. in 6to. dicitur:*
 Clericis causas sanguinis agitare non licere: sed Judex secu-
 laris super sententiæ executione est implorandus. Vid. Brun-
 nem. *cit. loc. §. 19.* Competit igitur jurisdictio Criminalis
 Judici ecclesiastico quoad cognitionem, non verò executio-
 nem: cognitio autem utrique est maxima pars meri Imperii,
 & ut traditio noxii fiat à Judice ecclesiastico in manus Judi-
 cis secularis. Vid. *Zœf. in comm. ad ff. tit. de Jurisdictione.* In
 foro Sax. quid Judex eccles. potestatis habeat quoad jurisdi-
 ctionem criminalem, intelligi potest ex resol. gravam. de
 anno 1609. §. Und weil vors andere die Schul- und Kirchens-
 Diener allein in real-Klagen und hohen freveln oder malefiz-
 Sachen / nicht aber in Schuldsachen und andern actionibus
 personalibus von der welt. Obrigkeit belanget werden können re.
Ex Ord. eccles. tit. von beyden Consistoriis vers. Denn ob
 sich wohl ihr Erkänntuß auf Leib und Leben nicht erstrecket/
 welches denen Gerichten der weltl. Obrigkeit vorbehalten re.
 Vid. Carpzov. *prax. Crim. p. 1. qu. 2. §. p. 3. qu. 110.* In civi-
 libus causis sicut Judex Secularis ecclesiasticum, re ita
 exigente, contra Clericum contumacem solet implorare,
 Gail. *1. obs. 15.* ita ab hoc vicissim ille invocatur, ut sententiam
 latam executioni mandare velit, *Vid. Id. ibid. Covarruv. tom.*
2. quest. cap. 10. hoc tamen discrimine, ut ecclesiasticus per
 censuras suas secularem ad auxilii præstationem cogere pos-
 sit, hic verò illū neutiquam. *Id. ib.* Ut autem Judex ecclesiasti-
 cus invocare brachium seculare possit, requiritur, ut pri-
 mum omnia fecerit, quæ pro executione sententiæ suæ face-

re potuit, & nullus itaque alius modus superfit amplius quam hic, ut sententia vires suas consequi possit, vid. Gail. & Covarruv. *cit. loc.* Ad exemplum iudicis ecclesiastici puto etiam Sacerdotes & Ministros ecclesiae, jurisdictione quidem destitutos, deprecari posse auxilium & coercionem à iudice seculari, si quempiam parocianorum contra ordinationes ecclesiasticas aliquid committere percipiant. Quæri potest hic, an & quomodo iudex delegatus vel etiam pars ipsa possit brachiumulare invocare? Vid. Gail. *cit. loc. n. ult.* & Petrus Frider. *de proc. lib. 2. c. 65. n. 6.* Quantum ad Magistratum Academicum attinet, jurisdictione civili ubique & semper hic pollet. Quoad criminalem, hanc de jure communi illi quoque competere, latius exponit Herm. *in safo. jur. publ. c. 37. qu. 10.* Vid. Richt. *ad Autb. Habita part. III. membr. publ. p. 140.* Cum vero ad hypothesein descendimus, de hoc quærare inutile videtur. quippe cum hæc res ex foundationibus sit dijudicanda & Principi fundatori Leges suæ largitioni dicere liceat, quas velit, ut inquit Becker. *in Syn. Jur. pub. cap. ult. § 5.* Sic in Academia Cracoviensis foundatione jurisdictione Rectoris ad leviora tantum crimina restringitur, Stat. Pol. §. *Scholz fol. 441.* Sicut in plerisque Academicis Germaniæ & vicinorum Regnorum hoc ita se habet, exceptis quibusdam, quibus nimirum merum Imperium s. jurisdictione criminalis expressè concessa fuit, ut sunt in Germania Academia Lipsiensis, Helmstadiensis, Tubingensis, Ingolstadtensis, Heidelbergensis, Gripswaldensis & in Gallia Parisiensis, de qua posteriori singulare præjudicium notavit Bodin. *lib. 3. de Rep. cap. 7.* Præfectum. Vbi duos Scholares sua sententia damnatos & suspensos de furca tollere, defunctos ofculari & honorificè sepelire coactum fuisse. Sive autem plena criminalis jurisdictione s. tantum notio de levioribus criminibus Magistratui

Aca-

Academico competat, semper tamen, utpote Clericus, auxilio brachii secularis opus habet, cujus ope damnati resistentes ad poenam promoveantur, vel hi, de quibus inquisitio formanda, nec non alii contumaces capiantur. Ut autem eò minus dissidiorum inter Magistratus Academicos & oppidanos, vel ratione levationis corporum examinatorum vel ratione sublationis civium Academicorum de platea ad carcerem aliorumq; hujusmodi casuum intercedat, ut plurimum inter hos iudices certa constituta sunt pacta, confirmatione ac mandato Principis roborata, quæ, evenientibus his vel illis casibus, legis instar observanda sunt. Aliquot ejusmodi Mandate Principalia & Compactata, inter Academiam Lipsiensem & Senatum urbis erecta, ex benevola communicatione Favoris cujusdam honoratissimi mihi obtigerunt, quorum publicatio cum non vergat in præjudicium Illustris Academiae, præcipuè, cum videam unum vel alterum eorum jam tum publicæ luci datum esse, ipse quoque præcipua aliquorum contenta, de his, quæ mihi communicata sunt, & ad materiam præsentem accommodari possunt, hic subnectam. Inter Statuta prælaudatæ Academiae, quæ de moribus Studioforum componendis confecta sunt, septimum, quod in scriptum est de relegatis inobedientibus, his verbis finitur: „*Quive ante*
confinitum pœne tempus in oppidum reverti ausus fuerit, is ab
ipso Rectore, inconsulto publico Consilio, ab Universitate no-
stra, ut membrum putridum exclusione rescindatur. Ac, cum
ejus apprehensionis in oppido Magistratus oppidanus teneat, in
morem productum est, ut nomen relegati aut exclusi in
charta notatum Senatui tradatur. Fridericus Placidus gloriosæ memoriæ, Elector Saxonix, anno 1452. ad Accdemiam & Senatum Lipsiensem decretum remisit, quid inter illos de certis subortis differentiis observari volue.

Iuerit. Ex qua D. Elect. sanctione sequentia verba ad materiam nostram spectantia huc apponere volui: Zum andern mahl sprechen wir ein Mittel und Ordnung der Einrichtung/ mit Willen und Bollwort unsers lieben Herrn und Freundes/ Bischoffs zu Merseburg/ daß die andern Diener unserer Stadt Leipzig sollen volle Macht und Gewalt haben anzugreifen die Studenten/ und den sie hernachmahls finden werden uf der Gassen/ ohne Licht/ mit schädli. Wehre oder in anderer Mißethat/ nach Laut der Glocken/ die man Cavets Glocken nennet/ und sie zu führen/ ohne grosse Verschrung der Personen/ auf das Rathhaus/ und sie allda in ein ehelich Verhältniß zu setzen/ zu beschließen/ und so lang zu halten/ daß der Rector nach ihnen sendet/ denn soll man die oder den/ so also eingeseht werden/ antworten dem Rectori ohne Wiederrede/ daselbsten soll auch der Rector die oder den/ die ihm also ausgeantwortet worden/ mit Gelübden/ Eyde oder gnughafftigen Bürgen verstricken/ daß sie das an keiner Stadt noch vor Gerichte/ noch außser Gerichte fordern noch klagen wollen/ und dann ihnen/ die sie verfehret haben/ gnug thun/ noch Inhalt ihrer Statut und Gesetze/ so wir das oben haben gesprochen. Eiusdem ferè tenoris sunt Compactata illa inter sapius memoratum utrumque Magistratum, ao. 1466. conclusa, quæ etiam relata sunt à Friderico Pensoldo ad Coleri Decis. ex quibus sequentia ad rem nobis facientia hic subjungam: Sittenmahl die Universität Statut hat gemacht/ daß ihre Gliedmassen/ die in peinlichen Sachen begriffen und erfunden werden/ ungestraft nicht sollen bleiben. Sollen und wollen wir Bürgermeister/ Rath und Stadt obgenannt/ einen ieglichen Studenten/ welches Wesens und Standes er sey/ von Stund/ am Tage und in der Nacht/ zu Hand frühe/ wo er von uns oder den uufriegen begriffen würde/ in grossen oder geringen Sachen/ daß

daß wie denn in solcher Zeit dem Rectori, der zu der Zeit wird
 seyn/ verkündigen/ und von Stund/ so er den famulum Univer-
 sitäten darnach schicket / ihme ohne alle Widerrede denselben
 antworten/ doch mit Versicherung/ die der Begriffene thun soll/
 als von Alters gehalten ist/ und so denn der Rector oder Univer-
 sität einen solchen Ubertreter wollen U. G. H. von Merseburg/
 nach ihrem gemachten Statuten Ausweisung antworten/ soll der
 Rector der Bürgermeister und Rath oftgemelbt solches wissen
 lassen/ und wo er alsdenn geantwortet wird oder soll werden/ soll
 der Bürgermeister/ Rath und Stadt vor kein Gericht einen
 solchen fort anlangen. Ohne Befehde und Neg-List in allen
 vorgeschriebenen Puncten ganz ausgeschlossen/ und daß solches
 von beyden Theilen werde gehalten / und seynd diese Schrift ge-
 zweyfacht und ieglichen Theile eine gegeben und des Rectoris
 der obgenannten Universität and auch mit des Raths der ehe-
 genannten Stadt Leipzig anhangenden Insiegel versiegelt.
 Geschehen am Dienstag nach Kiliani, anno Domini millesimo,
 quadringentesimo sexagesimo sexto. Verbotenus ferè hæc
 pacta renovata sunt in Instrumento quodam compactato-
 rum de an. 1580. Quatenus auxilium brachii secularis à Ma-
 gistratu Academico deposcatur & præstari soleat in casibus ad
 merum Imperium attinentibus, aliquo modo ostendunt ver-
 ba transactionis inter eosdem Magistratus anno 1531. factæ,
 quorum potiora hic sequuntur: Und soll hinfürder / wenn ei-
 ne Person der Universität eingeleibet/ es sey Doct. Mag. Baccal.
 oder Student/ in Collegiis tod gefunden/ also gehalten werden/
 daß sich der Rath desselben todten Körpers halben/ ihu aufheben
 zu lassen nicht soll annehmen/ sondern den Rector damit lassen ge-
 bahren/ etc. Wo aber der Tode ein Glied der Universität ist und
 außserhalb den 5. Collegien und des Coll. Bernhardi befunden/
 daß alsdenn der Rath denselben mag lassen aufheben / und denn
 Re-

Rectori den Körper lassen folgen ꝛ. Porro compactata inter eosdem de anno 1605, docent quomodo brachium iudicis secularis Magistratui scholastico in criminalibus succurrat, in verbis: Wann sich in peinlichen Sachen ein solcher schwerer Fall zutragen und begeben solte/ welcher eine Leib- und Lebens- Straffe auf sich hätte/ also/ daß man sich bey den Begeiffenen Ausreiffens zu befahren/ die Ursach auch dem famulo Vniverfit. nicht einig und allein zu vertrauen/denselben vor den Rectorem zu führen/soll der Rath dem Rectori solches verkündigen/ welcher alsdenn den Ambt-Schösser ersuchen soll/diesen Gefangenen/wenn er ihn durch den Rath angebürenden Orth liefern würde/in gute Verwahrung/da man sein gefichert/zu nehmen/ da alsden weitere Anordnung beschehen soll / was mit solchen Gefangenen vorzunehmen ꝛ.

TH. VII.

Subjectum *Brachii Secularis* est *Judex Secularis*, tam inferior quam superior, ut è supra allegata *ordin. prov. Sax.* videri potest. An tamen omisso *Judice inferiori* superior statim implorari possit, dubio non caret. Vid. *Petr. Frider. de proc. lib. 2 cap. 65. n. 5.* & *Gail. loco supra cit. n. 9.* ubi aliquot præjudicia notavit *Brachium* seculare immediate in Camera invocatum esse. Debet verò *Judex Secularis* (1) esse requisitus; aliter enim executio ritè fieri non potest, cum nemo in alienum processum sese immittere possit, nisi ad hoc requisitus sit. *Frider. cit. loc. n. 8.* Quod tamen limitatur in delictis, in quibus si Clerici deprehendantur, omnino à *Judice* sec. irrequisiti capi possunt, uti superius ostensum: imò licet sit delictum levius, si tamen Clericus in illo inveniatur & se Clericum esse asserat, potest à *Judice* seculari de hoc dubitante detineri, qui super hac quæstione status, cum sit facti, cognoscere potest. Vid. *Brunnem. Jur. Eccles. lib. 3. cap. 1. §. 14.*

Se-

Scaccia de jud. l. i. c. ii. n. 90. item in actionibus realibus, quibus conveniuntur personæ ecclesiasticæ, & in quibusdam etiam personalibus, de quo infra *ib. 8.* (2) Si requisitus est judex secularis, non potest auxilium denegare. Col. *proc. ex p. 2. c. 3. n. 18.* De Jure Can. excommunicari potest *cap. 1. X. de Off. Jud. ordin.* De Jur. Sax. multam 100. fl. pendere obstrictus est. *ord. prov. Sax. de 1550. tit. Consistoria, in verbis:* Würde sich aber iemand die Execution zu thun weigern / der oder die sollen uns / so oft es geschicht / 100. fl. zur Straffe verfallen seyn / welche es aber nicht vermögen / sollen mit Gefängnis gestraffet werden &c. Arbitrariè tales Judices omninò puniri posse, videri potest apud Menoch. *cas. 452.* Non tamen cogi potest Judex Secularis exequi Judicis ecclesiastici sententiam manifestè injustam, vel quæ lata est præcedente quadam in Processu nullitate: Brunne man. *Jur. eccles. lib. 3. cap. 11. num. 4.* ubi etiam vid. Stryck. *in additament.* quare omninò primùm Acta videat, præcipuè si pars exceptiones quasdam contra executionem proferat, ut ipsi aliquo modo constet, super quonam executionem peragere debeat. Vid. Bocer. *disf. 36. §. 12. (3.)* Judex Secularis de ordine executionis & de exceptionibus contra executionem oppositis omninò potest cognoscere, non verò de iis quæ contra sententiam opponuntur. Brunne man. *loc. cit. num. 3.* quæ distinctio *in l. 6. §. pen. C. de exceptione rei jud. §. in l. 15. §. 2. §. 4. ff. de Re jud.* Cum enim in sententia in causâ principaliter lata non exprimat, in quas res præcisè executio fieri debeat, non debet non executor de hoc cognoscere *l. cit. 15. ff. de R. J.* Cum etiam certissimum sit, exceptiones quasdam in continenti nim. liquidas & probabiles, contra executionem admitti, judici verò ecclesiastico, ubi seculari executionem semel demandavit,

cum hac nihil rei amplius sit, sequitur omninò, quod de exceptionibus istiusmodi, meram executionem concernentibus, ipse executor jus dicere debeat. Afferit quidem Menoch. *lib. 1. qu. 38. §. 20.* merum executorem nullam habere exceptionum prolatarum cognitionem; sed responsio patet ex ipsis ab eo ibidem cit. legibus, uti paulò superius deductum. Conceditur quod de exceptionibus, quæ causam ipsam afficiunt & adhuc altioris indaginis sunt, non possit executor instituere examen; benè tamen de his, quæ solam spectant executionem, tanquam actum ipsius Jurisdictioni commissum, nec non de illis, quæ quidem ad causam principalem attinent, sed luculentæ sunt & sine contradictione probari possunt, ut sunt exceptio nullitatis, tam circa materialia quàm formalia negotii commissæ, ut paulo ante dictum: Quis enim exequi debeat sententiam ipsò jure nullam? Invocatur Judex secularis constitutus in societate civili vel pacifica vel militari, cujus posterioris auxilium sæpè maximè necessarium est, præcipuè si de retinenda vel recuperanda possessione Jurium circa Sacra inter Magnates controversatur. Ita brachium militare in loco quodam Saxonix advocatum fuisse, notum fortasse multis est, in causa quadam Juris Patronatus, ubi cum novus Pastor ad concionem *δοκιμαστικῶν* perducendus esset, Patronus veritus, ne vicinus quidam Princeps jus Collaturæ prætendens, armatâ manu actum hunc turbaret, brachio militari utebatur, & novus parochia candidatus, utrinque militibus stipatus, templum ingredebatur, quod etiam ab his postea cinctum mansit. Caterùm Judex secularis defungitur officio suo circa personas & res ecclesiasticas vel requisitus, ut hæcenus dictum, vel etiam interdum non requisitus, ut Th. sequ. monstrabitur.

Negotia illa, circa quæ Bracchium seculare operam suam præbet, versantur tam circa causas ecclesiasticas quam civiles & sunt vel iudicium inchoantia, vel constituentia vel finientia. Ad priora pertinet Citatio. In causis enim ecclesiasticis Laici omninò per Magistratum suum, Judicem secularem, ad Consistoria citari debent, quamquam sine adjunctione voc. *in subsidium* Carpz. *Proc. Tit. 1. Art. 2.* Ad alteram classem pertinent causæ vel civiles vel criminales. In utrisque vel requisitus l. non requisitus Judex secularis procedit afficit. In Civilibus requiritur, e.g. in Visitationibus ecclesiasticis, quæ mixtæ plerumque sunt qualitatis, dum non modo doctrina parocianorum & profectibus illorum in ea, examen instituitur, sed rationes quoque reddituum, templis destinatum, ventilantur: ubi tunc Judex secularis statim potest implorari, ut debitores ecclesiæ segniores ad solutionem compellat, & quò contumaciam à Laicis commissam nec non delicta contra ordinationes eccles. designata (in quæ potissimum his actibus inquiritur) debitis modis coërceat. An in causis merè spiritualibus bracchium seculare rectè invocari possit, vid. Petrus Frider. *lib. 2. 62. 8.* & Menoch. *l. 1. qu. 38.* Non requisitus potest tractare in genere omnes Clericorum causas ex actionibus realibus provenientes. Vid. Philipp. *obs. pract. p. 37.* ubi aliquot in hanc rem præjudicia notata, it. Carpz. *Jurispr. Conf. Lib. 3. def. 7.* Imò etiam actiones quædam personales contra Clericos in iudicio seculari institui possunt, ut in causis feudalibus, tutelæ rationes attinentibus, vid. Gail. *1. obs. 37.* nec non mercatoriis, in quibus si Clerici sint occupati, privilegio suo in tantum renunciasse censendi sunt, atque eos in hoc casu coram iudiciis mercatoriis aliisque secularibus convenire posse, nullum est

dubium. Vid. Klock. *de contrib. cap. 12. n. 253.* In Criminalibus itidem vel requisitus vel proprio motu Judex secularis contra personas Clericas procedit. Quamvis enim, uti supra Th. VI. ostensum, Judex Ecclesiasticus de Jure Canon. in crimina Clericorum usque ad executionem inquirere possit: attamen Consistoria nostra, Processus ordinarios nimirum haud facile tractantia, si certitudo vel tamen luculentiora adsint indicia, de commisso à Clerico crimine, solent inquisitionem statim tradere Judici seculari. Vid. Brunnem. *Jur. eccles. lib. 2. cap. 17. n. 33.* quod requirere etiam videntur in Saxonia supra citati textus Th. VI. Vid. Carpzov. *Jurispr. Conf. lib. 3. def. 5.* Non requisitus Judex secularis potest etiamprehendere personam Clericam, quæ capitalis delicti insimulatur & de fuga est suspecta, quia *Ord. Crim. Carol. V.* hoc in passu inter personas nullam induxit differentiam: Videndum tamen hic putaverim, utrum persona Clerica delinquens sit Judicis secularis ipsum apprehendentis Principi subjecta, & tum apprehendens illud Consistorio notificare omninò debet, quod uti dictum, cognitionem de crimine ipsi facile relinquet; Vid. Resol. grav. Ducat. Altenb. relat. ab Ill. Dn. Struv. *in Comment. ad lib. 5. Decretal. cap. 1. obs. 16. in verb.* iedoch soll solches Erkänntniß mit Vorwissen unsers Consistorii dergestalt fürgekommen werden. An verò alius cujusdam Principis Imperio subjaceat, quo casu absque denunciatione hac, Judicem in foro hodie nullus Judex obstrictus est remittere delinquentem ad forum delicti. Ill. Dn. Struv. *Jurispr. Rom. Germ. Lib. IV. tit. 5. th. 8.* Inter negotia Judicium finientia præcipuum est executio, quæ quomodo circa causas & personas eccles. à Jud. secul. instituenda sit, seq. th. docebit.

Forma Bracchii Secularis in eo consistit, ut Judex Sec. (1) causas personarum & rerum ecclesiasticarum ad ipsius cognitionem aut executionem pertinentes legitimo modò secundum Processus consuetudinem tractet, (2) ut, pro re nata, Judicis ecclesiastici petita audiat, & si ab altera parte non evidentissimum remedium proferri possit, executionem peragat. Quomodò autem ista remedia debeant esse comparata, & quatenus Judex, qui exequi vult, de iis cognoscere debeat, superius *Tb. VII.* tractatum fuit. In civilibus causis, si executio in Pastoris bona mobilia peragenda est, & personæ, ad hunc actum delegatæ, ædes parochiales ingrediuntur, per hoc ipsum immunitati ædium illarum, qua præ aliis insigniter gaudent, nihil decessisse dicendum est, quia fit mandato Judicis competentis, scil. ecclesiastici, qui quod per alium jam facit, ipse facere putatur. Si executio fiat in Clerici bona immobilia, quorum scil. ipse Dominus est, eò minus dubii habendum, cum horum respectu nunquam ut Clericus consideretur *Gail. I. obs. 37. n. 4.* Demandatur etiam executio nonnunquam Judici Seculari in causis ecclesiasticis, ut matrimonialibus; e. g. postquam sententia de consummando inter duas personas matrimonio à Consistorio lata est, Judici Seculari imponitur, ut partem inobedientem ad ipsam consummationem mediis violentis, si aliis nihil proficiatur, adigat, hisce forrè verbis: *So ist sie/ihres Vorwendens ungeachtet/die Ehe mit Klägern zu vollziehen schuldig/ In Verweigerung dessen/wird sie von der welt. Obrigkeit darzu billig compelliret und angehalten.* Vid. *Carpzov. Jurispr. Confist. lib. 2. def. 132.* In criminalibus causis videndum an poenæ Canonica, an vero civiles, corporis afflictivæ vel etiam capitales infligantur. Si canonica, Bracchii Secularis auxilium rarò in-

vocatur, adeo, ut quamvis Laicus tali poena plectatur, tamen iudicis ecclesiastici minister ad executionem adhibeatur, quod apparet ex illo Consist. Wittebergensis rescripto, quod refert Ziegl. in *Superint. cap. 18. §. 20.* in causa mulieris cujusdam excommunicatae, praecipue è seqq. verbis: Wie ihr denn auch einen sonderl. Stuhl in der Kirche bestimmen und verordnen werdet/worinnen die excommunicirte Person alle Sonn- und Feyertage zur Zeit der Predigt stehe / diejenigen Sonntage aber / da das Ambt der H. Communion gehalten wird/ soll der Küster sie allezeit nach der Predigt und Gebeth vor Anfang des H. Abendmahls aus der Kirche durch das Volk hinaus führen/xc. Si praeter poenam Canon. e. g. poenitentiam ecclesiasticam & similes, civilis, eaque levior, ut multa pecuniaria aut carcer dictatur, solet è Consistoriis ad Superintendentem & Judicem secularem simul rescribi, talibus fortè verbis: Hierneben aber begehrende/ Ihr/der Pfarrer/wollet dieser Person wegen von der Kanzel öffentl. Abbitte thun/ Ihr/der Schösser aber sie ihrer Verbrechen halber auf etl. Tage mit Gefängnis-Straffe belegen lassen/ xc. Si Clericis infligi debent poenae corporis afflictivae vel capitales, quod etiam de Jure Can. pro re nata fieri potest *Cap. cum non ab homine X. de jud. cap. 5. de poen. in 6.* debet executionem poenae praecedere Degradatio, cujus qualitas & Processus describitur in *cap. 2. de poen. in 6. Vid. Menoch. 2, 415.* quae eò conducit, dicente Dn. Stryk. in additam. ad Brunnem. *jur. eccles. lib. 2. c. 19. n. 4.* ut dignitas Ordinis Clericalis illibata maneat apud plebem, qui etiam ibidem se meminisse ait, in casu, ubi Minister quidam ultimo supplicio afficiendus erat, primum solenniter habitum Clericalem ipsi ademtum esse. Nec enim puniatur Clericus, etiamsi reus sit inventus, priusquam per Episcopum sacerdotio spoliatur, ut inquit Auth. *Clericus §. 1. de Episc. & Cler.*

Cler. Solemnem Clerici degradationem hodiè non in usu esse, antequam de ejus crimine secularis Judex cognoscat, scribit Ill. Dn. Struv. *comment. ad lib. 5. Decretal. cap. 33. obs. 4.*

TH. X.

Finis Brachii Secularis remotus est, ut cuilibet in Rep. jus suum tribuatur & externus etiam ordo in ecclesia ritè servetur: proximus verò, ut assistatur Judici ecclesiastico & ipsius sententia non frustra sit pronunciata; siquidem una jurisdictio per alteram adjuvari debet. *l. A. Divo Pio ff. de Re Jud.* neque personæ Clericæ, Status sui immunitatibus & privilegiis abutentes, putent se non esse adstrictos vinculo obligationum & actionum, quo civiliter tenentur & conveniuntur.

TH. XI.

Contraria Brachii Secularis sunt exceptiones illæ, de quibus supra aliquid dictum, ad quas referri potest, exceptio litis pendentia, præcipuè verò exceptio nullitatis: Nam si sententia sit nulla, idque exactis clarissimè appareat, Judex Secularis nullo modo brachium vel auxilium suum Judici ecclesiastico impertiri debet. Vid. *Gail. 1. obs. 115. n. 5.*

TH. XII.

Qu. An Clericus Laicum in Judicio Seculari conveniens possit coram eodem ab illo reconveniri? Ad hoc resp. affirm. juxta *l. 14. C. de sentent. & interloc. l. 22. ff. de jud.* Vid. *Brunnem. ad hanc L. & Bocer. class. 6. Disp. 21. nb. 19.* adjiciens, quod Clericus reconventus etiam communibus & statutariis ejus loci, ubi causa agit, legibus teneatur. Nisi (1) sit causa spiritualis, quæ non potest fieri objectum Judicii Secularis, & si in tali causa Judex civilis cognosceret, supra jurisdictionem suam jus diceret, quod facere non potest, *l. ult. ff. de Jurisd.* Vel (2) ita aliàs comparata, ut non cadere possit sub cognitionem illius Judicis, coram quo conventio per-

peracta est, ut sunt causæ feudales, matrimoniales & similes, vid. Carpzov. p. 1. *Const.* 7. *def.* 4. & Martini *proc.* p. 215. vel (3) Laicus dolo efficiat, ut à Clerico conveniri debeat & sic ipsum fraudulentè reconventioni subijcere velit, *arg.* §. 5. l. 2. ff. *de jud.* & *cap.* 21. §. *ad hoc* X. *de jur. Patr.* Vid. etiam Dn. Schwendendorff. ad *Fibig.* p. 780. vel (4) Clericus in conventionè suam vel suorum injuriam persequatur *vid.* l. 2. §. 3. ff. *de jud.*

TANTVM!

Plures, Benevole Lector, addidissè quæstiones de Clericis, quatenus, tanquam rei, ad forum seculare trahuntur. Sed penuria temporis præcludor. Curabo forsàn, ut aliquando auctior in lucem redeat, si Dens vitam concesserit, cui.

SOLI SIT GLORIA!



Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several lines and is significantly obscured by a large, dark, circular smudge or ink blot in the center of the page.

Faint, illegible text at the bottom of the page, possibly a signature or a date.

Jena, Diss., 1691 S-Z

VJ17





9.316.

15. 4.23.17. XV. 179
E. 5. num. 26
169/356
8

2. F. F. 2. D. E. I.
DISPUTATIO INAUGVRALIS,
DE

BRACCHIO SECVLARI,

QVAM
EX DECRETO INCLYTÆ FACVLT. IVRIDICÆ,
IN ACAD. SALANA,
SVB PRÆSIDIO
VIRI ILLVSTRIS ET MAGNIFICI
DOMINI
GEORGII ADAMI STRUVII,
JCTI CONSVMMATISSIMI,
SERENISS. DVCVM SAXON. CONSILIAR. INTIMI
EMINENTISSIMI,
FACVLT. IVRID. ORDINARII ET H. T. DECANI MAXIME
SPECTABILIS CVRIÆ PROVINC. ASSESSORIS LONGE
MERITISSIMI,
PATRONI AC PROMOTORIS SVI SVMMÆ VENERANDI,
PRO LICENTIA DOCTORALI
HORIS ANTE ET POMERIDIANIS LOCO CONSVETO

D. XVI. SEPTEMBR. CID IDC XCI.

ventilabit

GOTHOFREDVS *Stockmann* /
BAVARO-NVMB. THVR.

JENÆ, Typis PAULI EHRRICHII. 1714.

